



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 129. Principum atque Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

§. CXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1679.*Synodi Tornacensis decreta.*

Rursus hoc anno Gilbertus Choiseilus
Tornacensis Episcopus Diæcesanam
Synodum die decima octava Aprilis
celebrabat, in qua juxta Parisiense sta-
tutum matrimonia coram invitis Pa-
rentibus contracta abrogavit. Pollici-
tus quoque est, se mature examinatu-
rum Parochorum querelas circa nimiam
Religiosorum in suis Parochiis mendi-
cantium multitudinem, & præensio-
nem quarundam Monialium, quæ puel-
las apud se educatas necnon earum an-
cillas sæculares voluerunt esse exem-
ptas a debito Paschali in Parochia per-
solvendo, etsi sæpius hæc clausura e-
grediantur. Prohibuit etiam cunctis
Confessariis, ne ullas puellas, quæ
cum Viris popinas frequentant, aut
caupones, qui Viros juvenes unacum
puellis ad potandum recipiunt, sacra-
mentaliter absolvant.

Concil. Ger-
man. t. 10.

§. CXXIX.

Principum atque Illustrum obitus.

Inter varios Principes, quorum vitæ *Wagner hist.*
hic annus exitialis fuit, singulari *Leop. l. 7.*
memoria dignus est Ferdinandus Maria *pag. 492.*
Hist. Eccles. Tom. LXIV. Ff fe-

Sæc. XVII. secundus Bavarix Elector Religionis
A. C. 1679. fervore, vitæ innocentia, & animi ma-
 gnitudine nemini secundus. Hic nec
 amplis Gallorum promissis, nec Ele-
 ctorum Ecclesiasticorum, suæque Con-
 jugis precibus induci poterat, ut ex-
 cluso Leopoldo Austriaco Cæsarem
 diadema acceptaret: pari etiam mode-
 ratione, pacisque studio sese ita Gallis
 addictum monstrabat, ut tamen nec
 illis suppetias ferret, nec Cæsari mo-
 lestiam crearet: Tandem vero die ve-
 gesima sexta Maij, cum Schleishemi
 ultra solitum dormire crederetur, mor-
 tuus in lectulo suo repertus est, non
 nisi quadraginta tres annos natus. Suc-
 cessit eidem ejus Filius Maximilianus
 Emanuel, ejus vero Filia Maria Anna
 Christina Ludovico Franciæ Delphino
 nupta. Eodem hoc anno, quo Hispa-
 niæ Rex Mariam Aloysiam Philippi Au-
 relianensis Ducis Filiam sibi in Throni
 conjugalis sociam die trigesima prima
 Augusti selegerat, Joannes Austriacus
 inopina morte sublatus est. Hic pro
 suprema, quam ei Carolus Rex adju-
 dicabat, auctoritate non modo Novio-
 magi pacem cum Gallis confecerat,
 sed etiam universum Hispaniæ Regnum
 a variis Ministrorum oppressibus,
 aliisque corruptelis vindicabat: inde
 vero quorundam Magnatum, quibus
 nimia

nimia ejus potentia exosa erat, livo- Sæc. XVII.
rem ac invidiam sibi accersebat; unde A.C. 1679.
nec vana erat suspicio plurium, qui il-
lum veneno a quibusdam Optimatibus
propinato sublatum credidere: Obiit
autem die decima septima Septembris
anno ætatis suæ quinquagesimo. Me-
liore fato die decima Decembris octo-
genarius e vivis excessit Joannes Mau-
ritius Nassovius Princeps Cliviensis Gu-
bernator ac supremus Belgii fœderati
Marescallus. Hujus vestigia pressit
Joannes Fridericus Hanoveranus Dux,
contra gentis suæ institutum religioni
Catholicæ addictus. Hic Venetias pro-
fecturus, die vigesima octava ejusdem
Mensis repentina morte Augustæ Vin-
delicorum oppressus est: uxorem reli-
quit unacum tribus filiabus Benedictam
Odoardi Palatini Rhenani Filiam pa-
riter Catholicam. Successit Friderici
Frater Osnabrugensis Pseudo - Episco-
pus, qui omnes Catholicos e sua di-
tione vi expulit. Denique fatis con-
cessit Antonia Wirtenbergici Ducis
Princeps, quæ contra Lutheri placitum
vitæ conjugali cælibatum prætulit,
Prædicantibus illam nec incontinentiæ
arguere, nec continentiæ dono dota-
tam celebrare audentibus.